



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 10. Typographia in Vaticano ab eodem Pontifice instituta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

cæ: porro hoc labore Sixtus V. unice Sæcul. XVI.  
 intendebat, ut Bibliotheca Vaticana A. C. 1589.  
 pristino suo splendori reddita præpedi-  
 ret, ne ea in posterum ob nimiam li-  
 bros educendi facilitatem dissiparetur:  
 eapropter circa ordinem, quem hujus  
 Bibliothecæ Præfecti ibidem servare te-  
 nerentur, prudentissimas præscripsit le-  
 ges, simulque severissimas pronuntia-  
 vit pœnas indicto etiam anathemate in  
 eos, qui aut hæc statuta violarent, aut  
 sine speciali summi Pontificis licentia  
 libros insuperhabito interdicto extrahe-  
 re præsumerent: ne vero hujus statuti  
 ignorantia obtendi posset, hæc decre-  
 ta duabus marmoreis tabulis ad Biblio-  
 thecæ ingressum erectis insculpi voluit.  
 Ceterum hæc Bibliotheca merito sibi  
 tantam deposcebat solertiam, quippe  
 jam tum plusquam decem millia scripto-  
 rum Codicum, qui ferme omnes maxi-  
 mi momenti erant, recensebantur: in-  
 super eadem, postquam Palatina, nec-  
 non Urbinatensi, & Christinæ Sueciæ  
 Reginæ Bibliothecis aucta erat, ex  
 omnibus totius Universi Bibliothecis  
 progressu temporis longe celeberrima  
 evalit.

## §. X.

*Typographia in Vaticano ab eodem  
 Pontifice instituta.*

B 2

Insuper



Sæcul. XVI  
A.C. 1589.

Insuper haud procul a præfata Bibliotheca instructissimam quoque typographiam erigi curabat, ut illius beneficio plurium operum, quæ vel ex hæreticorum perfidia, seu quorundam Catholicorum socordia, aut negligentia antehac adulterata, & depravata prodierunt, accurratæ, atque emendatæ editiones nunc concinnari possint: decreverat etiam Sixtus Pontifex, ut ibidem facer Codex in variis linguis, Concilia generalia, sanctorum Patrum opera, Liturgiæ in Ecclesiis approbatæ, ac plurima alia pietatis, & doctrinæ Christianæ opuscula tam pro fide Catholica in variis remotissimis regionibus propaganda, quam pro Catholica veritate in locis, ubi religio Christiana jam introducta viget, propugnanda omnis generis idiomatibus, ac literis imprimerentur: porro hujus typographiæ curam demandabat Dominico de Baza Veneto profunda sua eruditione, ac diuturna in ejusmodi negotiis experientia clarissimo, qui hoc in munere tantam sibi famam comparabat, ut hæc typographia brevi omnibus ad id necessariis tam abunde instructa esset, ut tanti operis excellentia labori responderet, & exinde Authoris gloria augetur: præterea Angelus Rocca ex Ordine Fratrum Eremitarum sancti Augustini, qui



qui Sixto V. a sacello, ac postea titularis  
 Tagedinus Antistes erat, Bibliorum,  
 Conciliorum, operumque sanctorum Pa-  
 trum editionibus invigilare a summo  
 Pontifice jubebatur.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1589.

§. XI.

*Varia Sixti V. diplomata.*

Hæ tamen exercitationes Sixti V. ani-  
 mum nequaquam a procurandis Ec-  
 clesiæ negotiis avertabant, quinimo  
 hac sollicitudine excitatus hoc anno plu-  
 ra edebat diplomata: I. Namque die pri-  
 ma Januarii decernebat, quod fructus  
 beneficiorum Regni Neapolis, tempore obi-  
 tus Beneficiatorum, qui cum camera Apo-  
 stolica super spoliis transfegerunt, pendentes,  
 vel non exacti, non ad eorum hæredes, vel  
 capitulum, & clerum, sed ad ipsam Came-  
 ram spectent.

Bull. t. 2.  
 pag. 710.

II. Diplomate die nona ejusdem  
 Mensis edito agit de habitu, & tonsura  
 clericorum, & Militum beneficia ecclesia-  
 stica obtinentium.

III. Die decima quinta Martii Papa  
 instituit tribunal rotæ in civitate Macera-  
 tensi, Provinciæ Marchicæ Status Ecclesia-  
 stici, ad cognoscendas lites dictæ Provin-  
 ciæ.

IV. Die vigesima quarta Maji Ponti-  
 fex Ecclesiam Episcopalem civitatis Fir-

B 3

mi.